



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Sanctitatis eius fama per totam Europam spargitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

Reliquiarum eius exposcebant : alij pro exortatis beneficijs donaria ex voto adferebant, aut è Sacelli parietibus suspendebant, aut imponebant sepulchro , nec raro cereos honori illius accendebant. Neque ab exteris magis atque ab ipsis domesticis , diu noctuque obfessum est eius monumentum. Hoc ipso autem tempore quo hæc scribo, mirifice crevit cùm Romæ in eum Religio , tum apud Transalpinos ; partem præconio eorum qui hinc discesseré, partem Reliquijs eius ad varia loca missis, imaginibusque eius sæpius recusis, quæ in veneratione sunt. Iam verò latissime innocentiae sanctitatisque eius fama percrebuit per Europam, multiique conceptis ad eum perfugiunt votis.

Prætermitto hic de industriâ prædictiones , quas de morte suâ edidit; visa , in quibus post mortem non paucis vario locorum interuallo apparuit; miracula beneficiaque, quæ exequiarum eius die , ac posteà , cùm Romæ tum in alijs Italiæ aliarumque Provinciarum vrbibus à Deo præstata sunt , ostendendæ apud homines gloriae , quâ inter Superos iam potitur : etiam si forte & numero & genere maiora ea sint , quâm aliquis opinetur. At quoniam eorum multa iuratis iam testimentijs confirmata sunt Romæ, iussu Gregorij XV. aliaque præterea diversis

uersis in locis conqueruntur; satius, quando ea probata fuerint Apostolicę Sedis auctoritate, simul omnia vulgabuntur; maximè ex quo sic fieri placuit Pontifici Maximo Christi Vicario, cuius publico decreto in posterum vetitum est historias vllas de viris opinione sanctitatis claris, nisi eā lege conscribi. Atque eius sane voluntati ab omnibus paré dum promptissimè est. Quamquam apud me nihilo magis miracula qualiacumque valere possunt ad probandum mihi Angeli huius innocentiam, atque ista cogitatio, quā recordor, quantos ipse viderim animorum motus, quos fructus, quos effectus per mortem, opinionemque sanctimoniae eius excitatos in animis Patrum, Fratrumque Collegij Romani & Transalpinorū, ac maximè Flandro-Belgarum: quantam denique utilitatem scholasticæ iuuentuti attulerit religio pietatisque in eum prouocata. Quicumque certè huc oculos aduerterit, quām multi vitæ mortisq; illius exemplo permoti, atque in se conuersi, laxiorem viuendi rationem correxerint, reflectisque ad viuum vitijs (quibus à vitæ perfectionis cursu retardabantur) totâ se animi contentionе ad orandi studium, ad voluntiarum afflictionum usum, ad acrem sui custodiam, ad legum accuratam obseruationem, ad assiduam cælestium rerum in collo-

O 4

quijs